05 (2

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quartâ menſis Decembris, anno Domini M. DCC. LII.

M. LUDOVICO-ANNA LAVIROTTE, Doctore Medico, Regio Librorum Cenſore, Præſide.

An omnes organicæ corporis partes digeſtioni opitulentur?

I.



INTER primarias animalis œconomiæ functiones reponenda digeſtio. Neque tamen, ut moris eſt, conſiderandam ſuſcipimus ſimplicem ventriculi, variorumque ſuccorum diſſolventium, vim & *energiam* in ingeſta; ſed corporis totius vires, ad grande illud opus ſtato mirabilique conſenſu conferre, proponimus.

Gulæ & ventriculi ſenſationi peculiari, individuique totius vix definiendâ mutatione, fame ſcilicet, animalia ſtatis temporibus afficiuntur; indeque alimenta appetunt, varia, pro diſpoſitione cuilibet innatâ. Niſi ſtomacho pabulum concedatur, collabuntur vires, tota pervertitur motuum & ſenſationum œconomia; vix aſſumpto pabulo, collapſæ vires inſtaurantur, moxque à paſtu, exurgit quædam in corporis habitu frigoris ſenſatio, dein ad ſomnum aliqualis propenſio, pulſûs, reſpirationiſque adauctio, tum & caloris; tandem membrorum omnium ad functiones ſuas expeditè peragendas aptitudo. Hæc ſunt primò notanda digeſtionis phænomena; quæ quidem functionem illam veluti totius corporis conamen præbent conſiderandam. Vix ineunte ciborum maſticatione, jam intenſiùs excitatur ventriculus, ciboſque in ipſomet ore quodam modo videtur deguſtare, mox deglutita molliter amplecti amans, tum & de novo advenientibus alimentis paulatim extendi, donec famis ſenſatio extinguatur. Dum autem verè inchoatur digeſtio, ſeu exercetur ventriculi motus propriè digeſtivus, tunc totius corporis fit blanda, hilariſque ſuccuſſio; en primum digeſtionis tempus. Deinde exterior corporis ſuperficies conſtringitur, vaſa imminuuntur, humores ad interiora appellunt; en ſecundum digeſtionis tempus. Demum apparent rubor in cute, calor, pulſus dilatatio, corporis totius veluti adauctio ſeu tumeſcentia, ad exteriora humores diriguntur, & hoc eſt tertium digeſtionis tempus. Obſervatur in corpore duplex præprimis motuum diſtributio, aut directio; nimirum centrifuga & centripeta, ex quarum ſeſe mutuo oppugnantium conatu, totam fere functionum pendere œconomiam ſuadent in arte principes, (*a*) ſicut & obſervationes variæ eorum quæ accidunt tam in ſanis quam in ægrotantibus; en quidem, ut jam dictum eſt, conſtrictio in tota corporis ſuperficie, ventriculo pleno, adveniens, cum horrore, frigore, tremore, quæ excipiunt calor, ruborque cutis: en

(*a*) Stalh. paſſim in operib. & poſt eum (ut non rarò) Hoffman. *Ration. Therap.* cap. 4.

phænomena eadem in febrili conamine, morbi tempora, exacerbationes & crises concomitantia; tum nec disparia in histericis insultibus, atque in variis pathematum generibus, pudore, irâ, gaudio. Clamant hæc omnia, manifesteque demonstrant conatus mutuos partium internarum & externarum, oscillationum itus & reditus; est igitur stomachus digerens, veluti centrum ad quod appellunt primò vires partium aliarum omnium, & ex quo iterùm ad superficiem corporis redeunt, jugi momento, velociùs aut lentiùs, pro variâ causarum *energiâ*, corporis ipsiusmet constitutione, ejusque motuum libertate, consuetudine.

I I.

CAPUT inter & stomachum probatur *relatio*, molesto ponderis sensu, & dolore, quos multi in diversis digestionis temporibus persentiunt, sicut & dum urget appetitus. Relationem hanc jamdudùm annotavit Hippocrates (*a*). Prædicant eam capitis ictus, vulnera, commotiones atque fracturæ, quæ sæpè comitantur nauseæ, vomitus, abdominisque perturbatio. Docent hæc vim capitis in ventriculum hujusque renixum pro variâ corporis dispositione, occasione variâ. Sunt lippi haud pauci quorum oculi digestionis conamine dolent, rubent & etiam inflammantur: quæ omnia eâdem proportione cessant, quâ ventriculi mutatur actio. Idem accidit in parotidibus, capitisque tumoribus aliis quorum volumen tunc imminuitur aut adaugetur. Sic sæpè sæpiùsque fœminas rubore genarum præprimis, inter digerendum, affectas videmus. Quis non observavit Medicus gingivarum & dentium dolores, ventriculi laborem concomitantes. Quæ quidem omnia phænomena perperàm explicantur per compressionem ventriculi super vasa abdominis, cum sedulâ constet autopsiâ ratam illam compressionem omninò impossibilem esse. Jam verò, cavitatis oris, narium & gutturis integri in abdominis viscera, efficaciam mirabundus advertet quilibet cum Baglivio. Pulveris tantillo nares irritante, tota commovetur intestinalis fistula, motuum ejus pervertitur aut acceleratur ordo. Quid non operantur sapores diversi? Quid laryngis pharyngisque partes? quæ, licet molles & debilis structuræ, citiùs tamen oculi nictu, efficacissimè agunt in stomachum, dum irritantur. Glandulas plures juxta collum positas, ventriculo inservientes, succis madidas, erectas, & activè salivam secernentes, & excernentes, dum functioni suæ sese accingere ventriculum famis sensus manifestè testatur, alibi demonstratum (*b*). Sensuum etiam organis propriè dictis sua vis est & energia in abdominis viscera: variis odoramentorum generibus, miras, præcipuè in fæminis, mutationes excitari constat. Sunt quas florum effluvia, vertigine, pectoris convulsione, tremore, vomitu, diarrhæis & sexcentis aliis, torqueant: quæ quidem nota nimis, ut iis enarrandis immoremur. Visûs organa & auditûs suo quoque potiuntur jure in stomachum; varias ex diversis coloribus sensationes, tum & soni modulamina num immeritò pro Pharmacis habuit Medicina prisca? Saltem attendenti patet mutationes organorum novam reapsè modificationem imprimere sistemati nervoso; quod porrò si nimiùm fecerit superstitiosa Antiquorum Magia, id forsan Medicina ipsamet errores suos expurgans nimium vili pendet (*c*).

2° Quod ad pectus spectat, ejus constrictio præcipuè ad sternum, vocis mutatio, Epigastrii dolor, respirandi difficultas dum digestio peragitur, imò & dum fames urget; præterea mammarum in nutrientibus mutatio adeò evidens ut aliquando alimentorum ingurgitatione subitò mammæ collabantur in fœminis post partum; hæc omnia, inquam, ventriculi actionem in tot pectoris provinciam suadent, & pectoris ipsiusmet reciprocum in ventriculum conamen. Cor earumdem etiam mutationum suo modo particeps; præterquàm quòd enim pulsûs plures accidunt in digestione variationes, cor ipsum in multis, motu sæpè irregulari afficitur, præsertim dum ægrè digerit stomachus.

(a) Aphor. E. Sect. 6.

(b) *Recherches anatom. sur la posit. des Glandes.*

(c) Vid. Schotti Magia phonoiatrica qui Agrippam, Portam, Mendosam & alios citat, multaque ex Kirchero, circa Tarentulatos, refert præsertim Capucini hujus historiam, qui amicâ Caietani Cardinalis purpurâ allectus, in eam insolitis motibus irruebat, &c.

3° Viscerum abdominalium in ventriculum energia utpote quæ variè ei opitulentur, apud omnes in confesso est ; antiquissimorum temporibus (a) hepatis atque lienis observatæ sunt vis & actio in ipsum jugulum, aures, caput & pectus tum & in membra, crus & brachium, pedes & manus & quidem utriusque visceris ad latus respectivum ; hanc viscerum eorum provinciam, neotericis paululum prætervisam, revocabamus alibi (b) ; organa hæc tempore digestionis adamussim contrahi atque versùs ventriculum vires suas exercere probant ratio & observationes. Hepar bilem in duodenum majori nisu effundit digestionis tempore, splen minorem humorum quantitatem recipit ventriculo pleno quam vacuo. Hæc ratio. Accedunt observata Medicorum : icteri irregulares, dum peragitur digestio, hypocondriorum dolores in splenicis & hepaticis, atque genarum, colli, & extremitatum mutationes ; demum splen contrahi, indurescere visum est, dum fit digestio in ventriculo ; non quidem ab ipsius compressione, sed à toni in ipsomet splene adauctione ; quod per se patet : idemque de hepate dixeris licet visus motum ejus non assequatur, ut pote quod splene minus flexile, mobile, spongiosumque. Pancreas si malè dispositus est vomitus, nauseas & stomachi profundos ciet dolores : aliunde cum hepate & liene conspirat, copiosumque laticem ulteriùs digerendis cibis præbere solet. Consulantur qui nephreticis doloribus obnoxii, ad ventriculum semper pergère dolores renum confitentur ; quod etiam manifestè apparet ex vomitu & stomachi perturbatione ipsismet familiaribus nimis. Ast quid non molitur uterus qui mobilis adeò, multarum molestiarum causa, quem sæpè furentem rectiùs quam plevram habuisset Helmontius. Ventriculum trahit in consensum, pondere, oppressione, ingratâ sensatione afficit si malè dispositus ipse ; hunc è contra mobiliorem, operi suo aptiorem reddit dum pacatus est ; hæc ipsæmet mulierculæ norunt ; dolore juxta stomachum sæpè afficiuntur & vomitu quæ fluxu albo laborant ; catamenia nonnihil semper appetitum, digestionesque pervertunt ; quod etiam observaveris in primis graviditatis temporibus donec partes omnes uteri volumini & actioni assuefiant. Sed & virorum genitalia suo etiam modo cum ventriculo actionis commercium habere non inficias ibit qui glandis vellicationes ad dolorem usque acres, atque vesicæ crepitus & testiculorum tumores varios in digerentibus observaverit ; quod ex melancholicorum relatu præprimis disces, ut pote qui sensu exquisitiori donentur, variisque mutationibus in semetipsis detegendis incumbant sedulò. Huc etiam pertinent ventriculi inquietudo, debilitas & depressio familiares iis qui veneri nimis indulsère. Quid valeant ad ventriculi œconomiam abdominalia vasa & membranæ, sciscitare abstahlianis, aut experiaris apud hemorrhoidibus affectos. Demum inter intestina ipsamet, quatenus in ventriculum agunt venit præprimis observandum colon, quod non solùm in stomachum, subjectaque viscera vires suas exerit, sed etiam in pectus, ipsumque caput ; varia de eo colligere possunt librorum consultores (c), de eo certiora experiuntur qui semetipsos perpendunt (d) & qui istas de semetipsis observationes conferunt cum quotidianâ praxi. Etenim colon ventriculum sæpè premens & epigastrium occupans ferè integrum, atque contra diaphragma insurgens, non rarò contingit reperire ; (e) ipsumquotidie evacuari observabis in multis, ubi alimentis plenus ventriculus, ni cedat ipsemet contenta emovendo, quod aliquando accidit.

4°. Extremitatum nisum in abdomen, præsertimque in ventriculum sic probamus. Hepatis, lienis, & renum affectiones quædam, pedes & manus *œdematiâ* infestant vel doloribus & contractionibus validis ; quæ omnia ventriculo digerente mutantur. Ructibus obnoxii à pede aut manu quandoque tremorem & fremitum versùs præcordia procedentem sentiunt ; qui dum ventriculum attingunt, ructum aut nauseam aut singultum excitant. Ex melancholicis aliqui digestionis tempore tremunt, & stupore tentantur crura & manus eorum ; contigit nobis quemdam videre, cui di-

(a) Galen. imprimis de Siculo Medico .. Duret *in Coac.*

(b) *Recherches anatom. sur la posit. des Glandes,* .. des Départemens *des visceres*, &c.

(c) VanRoyen. filius specim. Medic. de intest. crassis multorum morb. causa & sede.

(d) Le Med. de *soi même.*

(e) Henric. Bassius obs. anat. Med. Chirurg. dec. 1, obs. 2.

(a) In Thermis Baregianis.

gestionis tempore, totum corpus leviter convellebatur: fuit (a) ibidem mulier quæ quotidie post prandium, horrore tentabatur & convellebatur pedibus & manibus, ad animi deliquium usquè; epilepsiæ levioris brevem insultum dixisses; tum & vir nobilis in cruribus laborans herpete, qui herpes dum digestio fieret, sponte primò collabebatur & albescebat, brevique sæviebat acrius; imò toties dolore afficiebatur ventriculus, quoties exsiccabatur herpes, donec hic denuò recrudesceret. Scorbuto affectos ventriculi doloribus & crurum constrictionibus divexari, confitentur Clinici. Quibus Amputationes crurum aut brachiorum fiunt, ii dolore & spasmo ventriculi sæpè tentantur. Amputata fuit quibusdam abhinc diebus tibia: (b) operationis tempore æger convulsione in ventriculo quæ nauseas multas provocabat, afficiebatur; & tribus diebus quos post operationem vixit, semper eadem expertus, tandem cum suspiriis, citatoque anhelitu exhalavit animam. Sic quibusdam abhinc annis binos ægrotantes vidimus quorum alteri fuit amputatum brachium, alteri verò resecta glandula sub axillâ, in utroque ingens dolor ventriculi vomitusque donec vitam cum morte mutarent. Quibus in stomacho nidulantur vermes, aut venena continentur, capitis dolor & orthopnœa atque convulsio, tremor, horror, & spasmus omnium partium, manifesto indicio has ventriculi affectuum participes. Attendamus ad colicos dolores vulgò Pictorum dictos: in eorum paroxismo latet pulsus, extrema rigent & frigent, variè invertuntur oculi, succussio, spasmus corporis omnem occupant peripheriam; mochlico validè purgetur stomachus, morbi effodiatur crudelis minera; læsione ventriculi minùs sollicitatis partibus, omnia componentur symptomata; undè colliges quam indicamus arctam, partes omnes inter & ventriculum, sodalitatem.

(b) In Nosocomio F. F. Charitatis.

I I I.

NUNC autem operæ pretium erit hæc omnia quæ Clinicorum observata docent cum Anatomico physicis breviter perpendere; huc 1° attinet textus cellularis. Hunc ubique corporis reperiundum cunctas obvolventem partes, multorum morborum sedem, ex quorumdam observatis, peculiaribusque multis animadversionibus jam rectè demonstravit saluberrimæ Facultatis Doctor (c). Nos autem textum cellularem pro unico & generali habemus organo, quod systema cellulare diceres: hujus exordia & rudimenta si, præeunte face anatomicâ, diligentius rimemur, eum mucosum, homogeneum, tenacem, minimasque fibrillas nerveas illinientem, reperire est; mox idem solidi naturam induens in lamellas seu membranulas effingitur, enque idea prima corporis incrementi & nutritionis quam absolveris, si novi muci, ut ita dicam, *lamellefacti* appositionem, membranularumque hinc oriundarum varias accretiones perspexeris; adeò ut universa corporis compages, seu solidorum systema merum sit gluten nutritium inspissatum, exceptis solummodò primis illis staminibus seu fibrillis nerveis quas, cujuslibet partis verè fictrices & formatrices, habueris meritò. Sed sensibus magis obvium sese prodit glutinis hujusce productum dum partium omnium intercapedines penetrat, easque fasciculatim colligit, communi vinculo conjungit, vinculo scilicét laxo, poroso, in omnem sensum pervio, adeo ut ex quâcumque corporis parte ad quamlibet aliam præsto sit via satis expedita. Sic peritonæum atque plevra ab exteriori suâ superficie lamellas ad partes omnes emittunt, ad caput atque artus extensas, donec cutem attigerint; ita ut mira sit organi hujus in quâlibet parte compages. Hæc quidem Vieussenium fefellit dum ubique statuebat vasorum conglomeramina quæ etiam obtulerunt Ruischio injectiones non omnino fidæ. Hunc textum feliciùs veluti spongiosum quid, inter arteriolas & venas situm, habuit antiquitas, quem in criptulas coadunavit Malpighiana Secta. Sed nos veluti porosam habeamus massam *lamellatim* distributam, vi nervorum actam, quæ variarum materierum metastasibus præbet vias, præprimisque aquoso latici juxta oscillationum variarum directiones. Sic organum generale constrictionis & dilatationis capax habes, quod ad interiora pellat humores, aut ad partem stimulatam. Por-

(c) M. Franciſc. Thiery.

ro ventriculus alimentis turgens, centrum fit contra quod organum cellulare omne erigitur & intendit; unde virium, caloris, atque liquorum intropulſio, vel centripeti motûs effectus, donec ab interioribus partibus viciſſim fiat refluxus.

2°. De nervis gaſtricis nunc agendum incumbit. Eos juxta diaphragma ſub ſtomacho, per media vaſa, extenſos, plexus ſolarem & lunares efformantes, ab ipſiſmet plexubus poſtulamus oriundos (a). Veluti radii ab hoc centro communi, ad partes omnes extenduntur, cum nervis aliis ſocientur, ad viſcera cuncta & cerebrum ipſummet vel membranas ejus pertingunt. Sic commercium ſtabilientes inter omnes & ſingulos corporis tractus, idque centrum, juxta quod præciſe ſedem obtinent ventriculus & duodenum, huic pluribus nervis proxime conjuncta & inde, neceſſario nexu, cum omnibus & ſingulis corporis partibus. Conjunctionum earum uſum jamdudum ſubodoravit Clar. *Petitus*, Medic. (b) dum, ligato gaſtricorum nervorum ramulo ad carotidem appoſito deinque oculi nervis inſerto, ipſummet oculum videbat collabi, flacceſcere, extingui, indicio certo, virium ſupplementum quod tum oculo deerat, à nervo ligato oriri. Quis autem ex eo non concludet oculorum contorſiones & diſpoſitiones alias, quæ ægrotis accidunt, dum vermes aut pharmacum ventriculum gravant, nervi ejuſdem officio accedere? Atqui ex ipſiſmet ventriculi læſionibus, partium aliarum variæ quoque mutationes obſervantur; has igitur nervis gaſtricis attribuendas, pluſquam veriſimile. Aſt iterùm, cum oculus nervorum gaſtricorum læſionibus vitietur, quis ab oculi irritatione variâ nervos gaſtricos reciprocè pati non concedat? Sic aget viſus in ventriculum, ſic auditûs olfactûs ſenſuumque aliorum exercitium. Eſt ſcilicet nervoſum ſyſtema ex naturâ ſuâ, ſtimulo mobile, irritabile, ſenſibile; quod axioma Medicis qui corpus vivens non vero inanimatum contemplantur. Senſibilitatis & irritabilitatis effectus, variis in organis, arte vel naturâ vellicatis, excitati, ubique in omnem quam diceres nervorum ſummam ſeu *totalitatem*, *occultè* prorepunt; ſenſuum organa & motuum modo ſuo vellicata totidem ſunt fontes ex quibus nervorum actio procedit & in quos pluribus ex cauſis reciprocè recurrit: ventriculum autem naturâ ſuâ, conſtitutione, officioque ſuo, inter primaria actionis centra jure referas; qui nempè ſame primò erectus, tumque motus ſuos inchoans, mox alimentis laceſſitus, partium omnium vires ad ſe intendere videtur, donec irritatio à cibis ſtomacho illata deſinens eâ proportione quà digeſtio peragitur, nativæ, ſeu priſtinæ nervoſi motûs diſtributioni non amplius obſtet. Num autem neceſſitudinis inter ventriculum & organa cuncta ſit ea lex, ut ſicuti organorum nervi irritati in ventriculi partem determinatam agerent, dum verò irritatur ipſa, organum idem juxta propriam connexionem afficeretur; indeque conſectarium eſſet, omnes & ſingulas ventriculi partes, veluti centrum eſſe & fieri quo motus & ſenſationes, ſuo imprimerentur modo, ex quo plurima dilucidarentur intricata adhuc phænomena? Perpendat cui libuerit.

(a) Favente Illuſtriſſimo Winſlow, nihil contra demonſtrante DD. Mekel, qui tamen (Hiſt. de l'Acad. R. des Sciences de Pruſſe, année 1749.) de nervis intercoſtalibus haud contemnenda docet.

(b) *Mémoires de l'Ac. R. des Sc. année* 1727.

Vid. etiam de nervis ventriculi DD. Gorter. praxeos Medic. ſiſtem.

Et Kau, impetum faciens cap. 7. §. 349. tum & imprimis clariſſimum Archiatrorum comitem DD. de Senac, de nervorum ſimpathiis. *Eſſais phyſ. ſur l'uage &c.*

3° Cum ſenſibus, ut vulgò aiunt, internis varia prorſus & mirabilia corpori accidant, hæc etiam prorſùs notanda veniunt, ſeu apprimè colligendi pathematum effectus in ventriculum; hunc gaudio, irâ, timore, diverſimodè agi, quis inficias ibit? eſt ſcilicet pathematum aliqualis ordo requiſitus; eſt horum œconomia cuilibet forſan temperamento peculiaris, optabilis, ut digeſtio rectè perficiatur, quia ventriculi nervi ſuas etiam habent ſympathias cum iis quos in uſum vocat anima, functionibus ſuis vacans. Igitur breviter exponamus quidquid de digeſtionis phænomenis, & generali ejus in œconomiam animalem influxu, huc uſque expoſitum fuit. Stomachus & textus cellularis duo velut organa conſiderari debent mutuum *Antagoniſmum* inter ſe exercentia, officio nervorum inter utraque protenſorum, varièque tum ſtimulis materialibus, tum animi pathematis acta. His enim expoſitis cuncta digeſtionis phænomena facile explanabis, tum ea quæ jam expoſuimus, tum alia quæ brevi exponenda ſuſcipimus quod vix à doctrinâ vulgari expectes.

I V.

1°. UNDENAM variorum alimentorum appetitus, eorumque delectus, insuperabiles horrores & temerè variabiles, in prægnantibus, in iis quæ picâ & malaciâ laborant, tum & in melancholicis, nisi à nervorum modificationibus pene infinitis: pari modo scilicet ventriculus certo quodam alimento gaudet ab alio vero abhorret, quo oculus aliis recreatur coloribus, aliis læditur. Ea igitur omnino vel ad pathemata, vel ad sensum ventriculi peculiarem, vel *temperiem* ejus, ut loqui amabant veteres, spectant. *

2°. Cur quæso omni tempore quo ventriculus vacuus est, tunc tamen non appetitur alimentum, nisi ex eo quòd vires processu mechanismi digestionis ad exteriora appellentes non adeò à stomacho recesserunt: seu in illo non eò fuerunt exhaustæ, ut immineat ipsiûs collapsus; qui quidem collapsus eâ proportione quâ instat famis sensationem prolicit, & quo tandem, cum tono stomachi fatiscunt vires omnes corporis nisi tonus ille tempestivis cibis restituatur.

3°. Si imperfectâ assumptorum elaboratione alimenta de novo assumere contingat, sæpè accidunt symptomata morbosa varia; ventris turbatio, capitis labor, membrorum defatigatio, & febricula quorum rationem ex jam dictis facillimè assequeris. Inde enim patet quod si, eodem temporis instanti quo nervorum conatus ad exteriora vergunt, alimentis iterum irritetur ventriculus, vires ad illum appellere non rectè valent, fiuntque opposita in partibus conamina, directiones virium sese mutuò oppugnantium, spasmi & stases hinc & inde, tot scilicet seminia morborum (a).

4°. Senes facillimè jejunium ferre; secundo loco, qui ætatem consistentem agunt, minùs adolescentes, minimè omnium pueros docuit Hippocrates (b). Quæ omnia, ab oscillationum vividiori motu, & majori nervorum vibratilitate & sensibilitate, deduces (c). Cum enim puerorum organa facilè moveantur hinc ab exterioribus intus & vice versâ sæpè & cum velocitate feruntur motuum directiones. Sic etiam ventres hyeme & vere naturâ calidiores observavit idem Hippocrates (d); quia cum virium & humorum tunc in ventriculum major appellat quantitas, agatque validiùs organum exterius cellulare, sive tonus omnium partium, in interiora, tunc fulcimento majori egent & irritatione stomachus & viscera omnia, quibus possint fortiùs excitata, fortiores etiam contra centripetas vires renixus exercere.

(a) Jou.n. des Savans 7bre. 1752.
(b) Aph. 13. Sect. I. & in hunc Galen. Comment.
(c) Hecquet passim in oper.
(d) Aph. 15. Sect. I.

5°. Utrum melius digestio fiat per somnum quam vigiliæ tempore, multi jam quæsivere nec definierunt; atqui hujus enodatio problematis ex doctrinâ propositâ obtineri posse videtur; nam præter ea quæ consuetudini, naturæ velut alteri, tribuendum norunt omnes, ritè distinguimus in digerentibus eos quorum facillime nervi à quâlibet causâ distrahuntur ab opere, & illos qui ad meditandum proni maximâ animi contentione vires omnes suas, inter cogitandum indesinenter, impendunt, ab illis quorum nervi vel difficilè mobiles, vel validi satis ut ferè nusquam ab opere diverti sinant. Sic primis, pueris scilicet, mulieribus quibusdam, litteratisque viris, prodest somnus inter digerendum; quia nimirum somni tempore natura in illis sui juris meliùs facta, totam virium energiam digestioni impendit; dum è contrà qui nervis otiosis donantur eos vigiliâ & sensationibus excitandos esse, expedit; patetque posse excitari & pluribus intendi eos quorum vires sunt validæ satis. Animalia multa somno labuntur dum digerunt, & quò plus etiam somno indulgent, eò quoque obesiora fiunt: ast obesitatem veluti digestionis perfectissimæ scopum & signum non habeas; hæc enim solummodò perfecta erit, quæ vires omnium organorum requisitâ proportione reficiet, quod valdè obesis recusandum auguramur (e). Est siquidem obesitas plethoræ morbosæ species. Quæ de somno & vigiliâ diximus illa de motu sunt intelligenda; namque quibus debiles sunt vires, iis motibus variis turbatur digestio; quibus è contra validæ satis, illis motibus potest pars virium impendi. Sed hâc de re vix statui potest regula generalis.

(e) Athletas ipsos non inter valentiores annumeravit Galen. Suasoria ad artes oratio, post hippocrat. de alimentis.

* Ventriculus partium omnium quasi promptuarium. Galen, de usu part. L. 3. C. I. ... Ventriculus eligit alimenta, idem de instrumento, odorat. C. II. . . Consulatque etiam Helmontius, Archeus Faber & alibi.

6°. Qui horroris, frigorisque sensationem post pastum ex eo deducunt; quòd quantitate & qualitate chyli in sanguinis massam infusi, sanguis *inspissetur* minùsque per vascula mobilis fiat, unde frigus & *horrorifera* contractio, quo potissimum rationis fundamento innitantur, non equidem videtur. Namque 1°. chylum adhuc vias suas non transisse, atque minùs adhucin sanguinem pervenisse cum frigusdigestionis persentitur, patet ex eò quòd tunc, ne à ventriculo quidem exclusa fuere alimenta. 2°. Chylus ipsemet eumdem caloris gradum ac sanguis habet, quomodò igitur illum frigore conglaciaret. 3°. Est præterea chylus ipso sanguine fluxilior, aquosiorque, globulos quos amant illi effingere, minores habet diametro; quomodò hunc inspissare, immeabilioremque reddere posset, dum è contrà hunc fluxiliorem reddit & dividit potiùs quam inspissat? Si quæ sit addenda fides famosis illis *inspissationis*, *coagulationis*, *divisionis* humorum assertis. 4°. Demum frigus horrorque digestionis, motûs sunt evidenter augmentum non privatio, activa meatuum vasorumque strictura, imminutio quam à sanguine inspissato oriundam numquam collegeris, rectiùs verò à conamine nervoso, tonico, quale experiuntur qui titillantur, qui vividè afficiuntur dolore, quique animi pathematis agitantur. Meminit Lowerus se quemdam vidisse qui jusculа quæ assumebat, sponte per vasa narium vixmutata redderet; quia scilicet sanguinis massa hemorrhagiâ narium deperdita fuerat. Vidimus infantem eodem morbo tentatum, hic autem frigore aliquali & succussione in superficie corporis agebatur, tum serotinis horis, tum & à ptisanâ, calidâ licet, jusculisque assumptis; num in illo à sanguine inspissato frigus accessisse cogitares?

V.

AST objicient aliqui *centripetas* & *centrifugas* hasce vires, quibus functiones contendimus in corpore fieri & gubernari circuitui sanguinis directè opponi, atque adeò non admittendas. Quibus lubenter concedimus mechanismum propositum iis difficile intellectum iri, qui ab Harveio solummodò edocti physicè tantùm & in corpore sano humorum circuitum considerant; sed si consulantur in ægris naturæ varia & indefinita conamina, docebimur suos esse humoribus refluxus in vasis, sed sanè determinatos proprio œconomiæ animalis motu crises moliente; meatus & vasa comperiemus, in quibus ire & redire possint humores: quod metastases & tumores œdematosi varii, atque collectiones humorum in locis determinatis & millena alia practicis familiaria, apprimè suadent.

2°. Instabunt nos observata varia quibus doctrina nostra innititur præsertim à morborum phænomenis desumpsisse, ex iisque pro statu naturali parum aut nihil colligendum. Ast naturalis partium usus & status numquam meliùs nosci posse videtur, quam ex collatis earum morbis, qui nihil aliud sunt præter virium ultra modum evectarum aut depressarum exercitium; etenim necessitudines & sympathia partium morbosis symptomatis solummodò produntur; sanitas enim in perfecto consistit æquilibrio; contra verò dolor, anxietas, stupor, cæterique irritabilitatis modi verè morbosi, à rupto æquilibrio procedunt (excepto tamen sensuum naturali exercitio, quod forsan doloribus variis comparatum diceres) intimiorem igitur partium consensum ex symptomatis morborum fas est eruere (*a*).

3°. Organis membrisque quibusdam orbos, apprimè videmus digerere; unde concludere pronum organa deperdita nullomodò digestionis operi conspirare seu inservire. Hæc quæ achillea putarentur facili quidem negotio everti possunt; experientiâ namque constat eos quibus amputata membra, temperamenti subversionem sæpè fuisse passos, in iisque ventriculique vires evidenter mutatas; præterea membro decurtato cicatricem inductam eâdem ferè vi ac membrum integrum potiri in ventriculum sic probamus; membro amputato, dum cicatrix elaboratur, tunc nulla aut ferè nulla digestio sana possibilis, si enim hoc in vulneris statu alimenta

(*a*) Vid Wepf. de Cicut. aquat. qui stomachi vires ab irritatione ejus morbosâ semper colligit, &c.

præbeantur, tunc ſæpiſſimè mors oſtia pulſat; crudo enim vulnere vires parti deſunt quibus ſtomacho digerenti æquilibretur, aut potiùs illæ ſuppurationis labori impenduntur; contrà verò cicatrice abſolutâ & firmatâ, cuncta ad æquilibrationem ſanam accedunt, ſibique textus cellularis veluti fulcimentum efformavit, cui inniti facilè poſſit, undè cicatrix vices quodammodò membri amputati gerit. Hemiplegiâ affectos aut paralyſi membri peculiaris videbis etiam difficiliùs quàm vulgò creditur aſſumpta digerere, licet enim ex iis guloſi multi videantur & voraces nimis, lento reipſâ greſſu progrediuntur motus omnes & vires in abdomine atque in ventriculo, unde ſæpè & ſedulò Pharmacis excitandus tonus eorum eâdem proportione debilitatus quâ membra affecta immobilia magis. Inter ægros hâc paralyſeos ſpecie affectos quam à ſpaſmo vocant, quoſdam obſervare accidit qui tempore digeſtionis convulſionibus inordinatis, doloribuſque per partes læſas motu giratorio reptantibus, torquentur; fremunt planta pedis & palma manus, atque digiti, diverſimodè agitatur oculus lateris paralytici, quæ omnia digeſtione peractâ, ſponte quieſcunt. Quæ de Paralyſi ſpaſmodicâ diximus, illa de ſomno potiori adhuc jure ſunt intelligenda, licet enim ex eo functionum animalium exercitium aboleatur, non deeſt in animali dormienti partium vis, tonus & robur.

4°. Demum ſi mechaniſmum pro opere digeſtionis aſſignatum aliam quamlibet functionem abſolvere poſſe contendas, non equidem inficias ibimus; adſunt porrò primariæ præſertim functiones, uti cordis motus atque cerebri, quas apprimè ex viribus mox perpenſis deducere poſſes; etenim iiſdem ſemper Natura utitur inſtrumentis quæ variè dirigit, ubi notandum præcipuè incumbit eam rarò perque difficilè duabus ſimul functionibus, exceptis tamen vitalibus, ſuppetere, quando quidem corporis motus eâ lege perfici probant obſervationes tum in ſtatu ſano, tum in ſtatu morboſo. Sic habes digeſtionis mechaniſmum ex quo non ſolum omnium & ſingulorum illius functionis phænomenum cauſæ determinantes, typus, ordo, aperiuntur atque ſolvuntur apprimè, ſed quidem plurimùs œconomiæ animalis, tum ſanæ, tum morboſæ effectus, qui ſemotâ hujuſce mechaniſmi conſideratione, vix videntur poſſe attingi. Aſt nobis incumbebat diſquirendum digeſtionis opus, ſtatuendumque illud partium omnium organicorum concurſu, ac miniſterio (a) perfici, quod ſatis probaſſe exiſtimamus; undè concludere licet.

(a) Conſpiratio una, conſentientia omnia in parte, partis ad opus. *Hipp. de aliment.* universum corpus interdum ratione unius alicujus membri, affectus invadit. *lib. de Colic. Galeno aſcripto.*

Ergò omnes organicæ corporis partes digeſtioni opitulantur.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Carolus-Ludovicus Liger.

M. Franciſcus-David Heriſſant, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæque Societatis Londinenſis Socius.

M. Andreas Cantwel, Regiæ Societatis Londinenſis Socius.

M. Joannes-Stephanus Guettard, Regiarum Academiarum Pariſienſis & Florentinæ Socius, Cenſor Regius & Hiſtoriæ naturalis Muſæi Sereniſſimi Ducis Aurelianenſium Cuſtos.

M. Jacobus-Franciſcus le Chat de la Sourdiere.

M. Benjamin-Ludovicus-Lucas de Laurembert.

M. Natalis-Maria de Gevigland, Rei Herbariæ Profeſſor.

M. Joannes-Franciſcus Iſez.

M. Leander Peaget, Conſiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus Caſtelleto.

Proponebat Pariſiis THEOPHILUS BORDEU, Benearnus, Doctor Medicus Monſpelienſis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos Author, A. R. S. H. 1752, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1752.